

influunt, *indifferentia*: e contra prædefinitio a scientia media dependens se tenet solum ex parte Dei; est principium per accidens dyntaxat requisitum et remotum; relinquit reliqua principia non minus, ac actum prium proximum, *indifferentia*. 2º. *Premotio* habet *infallibilitatem intrinsecam* et in ipsa virtute causandi fundatam: prædefinitio autem solum extrinsecam et fundatam in consensu libero conditionate futuro. 3º. Denique tum decretum prædeterminans, tum præmotio esset a creatura *inimpeditibilis*: prædefinitio nostra potest saltem indirecte a creatura impediri.

## ARTICULUS V.

QUENAM SIT HISTORIA CONTROVERSLÆ DE GRATIÆ AUXILIIS SUPERIORIBUS SECULIS  
INTER CATHOLICOS AGITATÆ?

385. *Nota.* Præter Acta *Lemosii*, *Pegnæ*, *Coronelli* aliorumque in Congregationibus de gratiæ auxiliis, varie narrationes tum a Patronis gratiæ per se efficacis, tum a Nostris aliisque editæ priori jam seculo extabant. Anno ejusdem seculi postremo tandem prodiit justum volumen, complexum Historiæ congregationum de auxiliis gratiæ divinæ sub summis Pontificibus *CLEMENTE VIII.* et *PAULO V.* Libros quatuor, auctore Augustino. *Le Blanc SS. Theol. Doctore*: oppositi huic sunt an. 1703. Historiæ controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis sub *SIXTO V.*, *CLEMENTE VIII.* et *PAULO V.* Libri sex, auctore Theodoro *Eleutherio Theologo*.

Recusa subin fuit historia prior, aucta libro quinto superiorum quatuor apologetico, auctorque, quem jam ante Eleutherius detectum vulgaverat, inscriptus est Fr. Jacobus Hyacinthus *Serry* Ord. Prædicatorum: eidem reddidit vices, vindicato ab objectionibus opere, quod sub Eleutherii schemate prius emiserat, aperta jam fronte P. Livinus de *Meyer* Soc. Jesu. Ex alterutro postmodum concinnarunt hujus historiæ compendia Theologi plerique inter quos nonnulli non tam veritatis amore, quam partium, quas circa gratiæ efficaciam sectantur, studio, Historicum alteri alterum prætulerunt.

Cujus quidem vitii suspicio ne relationi nostræ aspergi queat, visum est aliena opera uti, et adoptare epitomen Auctoris, qui præter reliquias iudicis vel arbitri dotes animum neutri addictum parti professus est, quæ alios circa materiam de scientia Dei et gratiæ auxiliis in sectas dividere solet. Hujusmodi autem omnino est *Honoratus Tournely* Doctor Sorbonicus; cuius proinde historicam epitomen ex Prælectionibus Theologicis contractis fideliter descriptam, exceptis quibusdam erroribus forte typographicis, damus.

## § I.

## De Occasione Congregationum.

386. Vix instituta erat *SOCIETAS JESU*, jamque e vivis defuncto sanctissimo fundatore, sparsis per Europam illius membris, et primas in Universitatibus cathedras occupantibus, conquesti sunt plerique PP. DOMINICANI, novam

eos, camque a Pelagianismo non satis recendentem edocere doctrinam: nec minus de Dominicanis conquerebantur Societatis Patres, quod suo præsertim circa prædeterminationem systemate Calvinii defensoribus faverent. Talis atque tantus fuit rumor ille, ut summi Pontificis auctoritas in medium vocata accusationum veritatem dignoscere dignata non fuerit: quomodo autem ad suum tribunal causam reservare fuerit adducta, nunc venit expendum.

387. I. Anno 1581. *PRUDENTIUS DE MONTE MAJOR* publicis apud Salmanticenses Thesibus doctrinam de scientia media propugnavit. Ipsi praeluserant, teste Gabriele de Henao Libr. de scientia media historice propugnata, Fonseca apud Conimbricenses, Molina Eboræ, Henricus Henriquez Cordubæ, Deza in Complutensi Academia, Didacus Paez et Michael Marco in urbe Salmanticensi. Verum his omnibus famosior *Prudentius*. Contra illius Theses disputavit celebris ex Ordine Prædicatorum *Dominicus BANNEZ* in eadem Universitate Salmanticensi primariæ cathedralæ moderator; qui et a disputatione egressus sexdecim propositiones Inquisitionis sanctæ tribunali, suo et amicorum quorumdam nomine denuntiavit. Has S. Officii Commissarius damnavit, inquisito prius censorio Doctorum Salmanticensium judicio; sed illas *Prudentio de Monte Major* non tribuit Inquisitor, et ipse *Prudentius* eas velut sibi proprias nusquam agnovit, nec illas tanquam doctrinæ a se assertæ consectorias fassus est. Atque hæc fuere initia celeberrimorum dissidiorum, quæ in Hispania Prædicatorum Ordinem cum Societate commiserunt.

388. II. Fervebat adhuc in Salmantensi Academia disputationis aestus, cum *LESSIUS* et *HAMELIUS* apud Belgas eamdem, ac *Prudentius*, doctrinam propugnarunt annis 1586. et 1587. Iis obstiterunt Academiæ Lovaniensis ac Duacensis, ducibus hic *Estio*, ibi *Baio*; atque quatuor supra triginta propositiones damnarunt: hic dissidiorum origo in Belgis. Orta isthæc dissidia auctoritate sua compescuit *Sixtus V.* summus Pontifex, dato die 15. Aprilis an. 1588. Brevi ad suum in Belgio Nuntium Apostolicum, quo totius controversiae cognitionem summo reservavit Pontifici. Utriusque porro dictæ Academiæ censuram a sancta Sede fuisse approbatam anno 1679. contendunt nonnulli; reclamant cæteri.

Negans sententia nobis videtur probabilior: etenim, ut alia prætermittam, ex quibusdam excerptis Registrorum S. Officii constat, die 10 Decembr. an. 1679. prohibuisse sacram Congregationem Oratoribus Lovaniensibus, ne censuram prædictam typis mandarent, et lata prohibitione subditur: *Significet autem Oratoribus, quod nec Sanctitas sua, nec sacra Congregatio unquam approbavit dictam censuram, seu ejus justificationem in materia gratiæ.* Nihil certe disertius.

389. III. *Molina*, primarius in Eborensi Academia Theologiæ Professor, suum celebre opus de *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*, etc. edidit. Commentarium est in nonnullos primæ partis divi *THOMÆ Articulos*, de divina scilicet præscientia, prædestinatione et reprobatione. Huic efformando jam a triginta annis incubuerat *MOLINA*. Vix lucem videbat Opus, a Bartholomeo Ferreira Dominicano approbatum, et statim varios expertum est

hostes, præsertim BANNEZIUM : ast re in sanctæ Inquisitionis tribunalí contradictorie expensa illesum remansit, ejusque promulgatio concessa an. 1588.

390. IV. Istud Molinæ opus e Lusitania ad Hispanos delatum, faventibus supremis Castellæ et Arragoniæ Conciliis, typis mandatum fuit, approbantibus Hispanis duobus Theologis : hic denuo suscitatae in Hispaniis Dominicanorum querelæ. Æstuantibus interim hinc et inde animis ac vehementi suscitatis ardore, an. 1594. in urbe Vallisoletana Antonius Padilla e Societate Jesu, Thesibus publicis Molinæ, ab urbis hujus Dominicanis læsi, patrocinium suscepit : insurrexere in illum Dominicanum tum viva voce, tum Thesibus publice propositis ; et eo usque prorupit altercatio, ut propositiones e Molina excerptæ a Dominicanis, et e Bannezio a Societatis Patribus sanctæ Inquisitionis Hispanicæ tribunalí denuntiatae fuerint.

391. V. De his motibus a supremo Inquisitore certior factus S. Pontifex CLEMENS VIII. nequid latè Inquisitionis iudicio, ut crescentibus in dies per totam Hispaniam dissidiis occurreret, totius cause cognitionem sibi reservavit (eodem an. 1594. : imperato primum utrique parti silentio ; posthaec permissa disputatione, prohibitis tamen acrioribus notis ac censuris : tandem postulatis acceptisque utriusque partis momentis, Consultoribusque designatis celebres præcepit inchoari congregations de Auxiliis.

### §. II.

#### De ipsis Congregationibus.

392. An. 1590. Supremum diem obierat summus Pontifex SIXTUS V. Ejus successoribus URBANO VII., GREGORIO XIV. et INNOCENTIO IX. citius fato functis, ad sanctam Sedem evectus est an. 1592. CLEMENS VIII. Is est, cuius jussu habite sunt celebres Congregationes, quæ de Auxiliis dictæ sunt, quia in illis exigitata potissimum fuit questio de auxilio divinæ gratiæ. Celeberrima isthæc congregatio integris novem annis et octo mensibus perduravit : a die scilicet 2. Januarii an. 1598. ad 28. Augusti an. 1607., atque claritatis gratia in quinque epochas distribui potest.

*Epocha 1<sup>a</sup>.* a 2. Jan. an. 1598. extenditur ad 22. Febr. an. 1599. sequentis : congregationibus undecim (*intra 2. menses et 11. dies absolutis*) tractata est causa : demum Censorum judicia lata sunt scripto de prohibendo omnino Molinæ libro. Soli his congregationibus adfuerunt octo Consultores a Pontifice designati, quibus præerant Cardinales Ludovicus Madrutiæ et Pompeius Arrigonius. Interim advenientibus Hispanis e Societate Patribus, de tali censura querelæ motæ sunt : hinc jubente summo Pontifice novæ congregations celebratæ.

*Epocha 2<sup>a</sup>.* a 22. Feb. an 1599. ad diem 20. Aprilis an. 1600. octo collationibus peracta est, præside adhuc Madrutiæ, cui adjuncti sunt post secundam congregationem Card. Bernerius Ord. Præd. et Bellarminus e Soc. In his congregationibus disputatione Jesuitæ cum Dominicanis : ex parte *Dominorum* adfuerunt Didacus Alvarez et Michael a Ripa : ex parte vero *Patrum Societatis* Michael Vasquez et Petrus Arrubal. Inter haec moritur Card. Madrutiæ 20. April. an. 1600. ; sicque abrumptur institutæ collationes.

*Epocha 3<sup>a</sup>.* complectitur congregations a die 27. Aprilis an. 1600. ad 20. Martii an. 1602., quarum septuaginta septem habite sunt. Primis præfuit Propertius Resta, sed post vigesimam quartam morbo, atque paulo post morte correptus ; cæteris præfuit Julius Sanctulius de Monte Filatrano, et ipse quoque Episcopus et Consultor. Dictam in viginti Molinæ propositiones *censuram* probarunt adhuc Consultores : huicque subscripserunt 29. Novembr. an. 1601., eamque die 3. Decembbris summo Pontifici obtulerunt. Censuram hanc agentibus Societatis Patribus non admisit summus Pontifex, remque totam se ipso presente agitari et discuti voluit, auditis utriusque partis Theologis, ut scilicet causa sic contradictorie discussa, pronuntiandæ juridice sententiae viam sibi pararet.

*Epocha 4<sup>a</sup>.* Celeberrima est isthæc epocha : a die 28. Martii an. 1602. ad 22. Januarii an. 1603., sexaginta octo congregationibus integra Molinæ causa retractata fuit. His præfuit ipse Papa CLEMENS VIII., cui adstiterunt semper duo Cardinales supremi Inquisitores, Camillus Borghesius, qui postea ad Petri cathedralm sublimatus fuit sub PAULI V. nomine, et Pompeius Arrigonius : sextæ et sequentibus congregationibus interfuere insuper Cardinales Asculamus, Pinellus, Sfondratus, de Avila. Haec erat tota congregatio S. Officii, uno excepto Cardin. Bellarmino, qui jam antea Capuam secesserat, cui Dioecesi a S. Pontifice præfectus fuerat.

Ad quinquagesimam quintam vocati sunt præterea Cardinales de Givry, Taberna, de Monopoli ; ad sexagesimam septimam Card. du Perron ; ad postremam Cardinales Aldobrandinus, Bellarminus, Blanchettus. Adfuerunt Censores Episcopi quinque, Lombardus Archiep. Armachanus, Lelius Suesanus, Julius Sanctulius, Hippolytus Masserius, Basilius Pignatellus : *Consultores Theologi* novem, duo Doctores Sorbonici, duo ex Ordine S. Augustini, duo ex Ordine S. Francisci, unus ex Ordine S. Benedicti, unus Carmelita, et Procurator generalis Capucinorum, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis. Ex parte *Prædicatorum* interfuere Hieronymus Xavires Magister Generalis Ordinis, Didacus Alvarez et Thomas de Lemos : ex parte vero *Societatis* Claudio Aquaviva Prepositus Generalis; successive autem disputatione Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal, Ferdinandus Bastida, Joannes de Salas,

Quinquaginta octo primis congregationibus varia doctrinæ Molinæ capita discussa sunt : in decem postremis agitata fuit celeberrima de scientia media disputatione. Inter haec moritur CLEMENS VIII. die 4. Martii an. 1603. Eligitur LEO XI., cui paulo post fatis functo successit 16. Maii ejusdem anni PAULUS V., sub quo resumptæ sunt Congregationes.

*Epocha 5<sup>a</sup>.* Ultima haec epocha includit congregations sub PAULO V. celebratas. Septemdecim omnino numerantur : prima ex illis habita fuit die 14. Septembris an. 1703., et omnium ultima die 1. Martii anni sequentis. In iis data opera et ex professo agitata est controversia de gratia ex sese efficaci et physice prædeterminante. Atque ex his patet, præter tot congressus et collationes, quibus per quatuor et amplius annos absente summo Pontifice ventilatae sunt arduæ ac difficiles de gratiæ auxiliis quæstiones, octoginta quinque insuper coram CLEMENTE VIII. et PAULO V. solemnes ac publicas de eodem argumento habitas fuisse congregations. Quis autem fuerit omnium illarum disputationum finis, jam dicendum.

## § III.

## De Congregationum exitu.

393. Absolutis disputationibus singula Consultorum vota sigillo munita sibi soli communicari voluit PAULUS V., eaque ipso jubente s<sup>e</sup>pius incudi reddit<sup>a</sup>: tandem ad finem Julii anni sequentis 1607. Cardinalibus, qui Congregationibus interfuerant, exhibita sunt, de iis postmodum constituto tempore judicium laturis. Subinde Pontifex eosdem Cardinales die 28. Augusti ejusdem anni convocavit, et inquisivit, num expediret, ultimum prae*sent* controversiae finem imponere. Quae fuerit opinantium sententia, quidve conclusum fuerit a Pontifice et Cardinalibus, servato inviolabilis silentii secreto, manet adhuc ignotum, nec ullis monumentis certo resciri potest.

Utut sit, PAULUS V. vocatis post diem tertium Præpositis utriusque Ordinis item omnem dato fiduciario Rescripto in suspenso posuit, ut advertit Augustinus Le Blanc L. 4. c. 18. Eo in Rescripto S. Pontifex 1<sup>o</sup>. utrique parti permisit propriam defendere utrinque ac propugnare sententiam: 2<sup>o</sup>. prohibuit, ne quis partem suæ oppositam censura quapiam notaret, nec sibi invicem odiosa affingerent nomina: 3<sup>o</sup>. ab eodem Pontifice cautum paulo post, ne circa hanc materiam ullus typis mandaretur liber absque sanctæ Sedis licentia. Et hic fuit Congregationum *de Auxiliis* exitus.

394. Quæres I: An finitis disputationibus sancitum fuerit *Apostolicum judicium*, atque lata in Moline doctrinam censura?

Affirmant nonnulli cum historico *Le Blanc* cit. L. 4. c. 15. Contendunt illi PAULUM V. majoris partis Cardinalium suffragia secutum, delineande Bullæ Pontificiæ curam Consultoribus commisso, quam illi diligent<sup>i</sup> studio elaborat<sup>a</sup> summo Pontifici obtulerint: sique instructum esse sancitumque apostolicæ Sedis judicium, atque paratam dogmatum Molinæ censuram; eique solam deesse promulgationem, quam distulit S. Pontifex, aliis permutos rationibus. Negant alii cum Theod. *Eleutherio* L. 6. c. 23. Volunt isti Bullam PAULI V. ab Historico jactatam omnino commentitiam esse, nullamque a sancta Sede efformatam fuisse censuram; sed solum in ultima Cardinalium congregatione inquisivisse S. Pontificem, num oporteret tantam ultimo judicio dirimere item. Quod quidem probant

1<sup>o</sup>. Quia Alvarez, Gonzalez, Nazarius, aliquie Jesuitarum æmuli, qui post finitas proxime congregations scriperunt, quique minutissima recensent, quæ in suæ doctrinæ commendationem utcumque conducere existimabant, de predicta Bulla prorsus silent; non nisi elapsis quadraginta et amplius annis de ea mentio habita est, cum scilicet PAULUS V., ascitique in congregationem *de Auxiliis* Cardinales et Consultores omnes e vivis excessissent. Hinc certe non leve exsurgit suppositionis præjudicium.

2<sup>o</sup>. INNOCENTIUS X. solemi decreto ann. 1654. pronunciat, autographo assertæ Constitutionis Pauli V. aliisque assertis actis Francisci Pegne, Fr. Thomæ de Lemos etc., quibus predictæ Bullæ historia superstruitur, nullam esse omnino fidem adhibendam; ergo.

3<sup>o</sup>. Esto, sancitum fuerit Pontificium diploma, ast qua tandem ratione

extundi poterit, inquit Eleutherius, potius *Jesuitis*, quam *Dominicanis* fuisse adversum? Equidem præjudicium erat contra Molinam Consultorum suffragium: verum præterquam quod de studio partium s<sup>e</sup>pius accusati fuerant Consultores in libellis supplicib<sup>s</sup> CLEMENTI VIII. et PAULO V. oblati: 1. omnino concors non fuit eorum suffragium; 2. sepe a Pontificibus ad incudem remissum, sepe et notabiliter variatum; semper cum quadam præpropera festinatione latum; 3. favebant Jesuiti contra Dominicanos, ipso non diffidente Augustino Le Blanc, plerarumque Academiarum Hispaniæ, Italiae, Germaniæ, etc. sancitæ, ac Sacre Congregationi submissa judicia. Porro ex hypothesi, quod judicium tulerit summus Pontifex; quis certo affirmare ausit, ipsum hæc Consultorum suffragia tot celeberrimarum Academiarum judicio prætulisse?

395. Quæres II. In quam partem Consultores, Cardinales, et summi Pontifices inclinarint; *Dominicanis*, an *Jesuitis* faverint?

R. 1<sup>o</sup>. In toto congregationum decursu Consultores ferme omnes in censuram constanter propensos fuisse: unde de illis multum et plures conquesti sunt Societatis Patr<sup>e</sup>s in memorialibus et libellis supplicibus S. Pontifici oblati. Hoc certum, in eoque consentiunt Historic<sup>i</sup> *Le Blanc* et *Eleutherius*.

R. 2<sup>o</sup>. Cardinales Perronium et Bellarminum constanter favisse Jesuitis; id certum, nec diffitetur *Le Blanc*: ast cæteros ipsis fuisse adversos contendit idem Historic<sup>i</sup>; quod negat *Eleutherius*, ac observat, quid in ultima Cardinalium cum Pontifice congregatione decretorie pronuntiatum fuerit, servato inviolabilis silentii secreto, nulli unquam mortalium fuisse revealatum.

R. 3<sup>o</sup>. Initio Congregationum, patentibus Molinæ vindicibus, CLEMENTEM VIII. dogmata Molinæ improbase: verum iidem contendunt, sub finem disputationum, re per se inspecta, animum mutasse. Id ex eo colligunt, quod in ipso exemplari libri Molinæ, quem paucis ante mortem mensibus capite evolvere aggressus fuerat, plusquam octoginta occurrant Molinæ textus sacra Pontificis manu subnotati, cum notatis quibusdam marginibus; qui textus et notulæ eo maxime tendunt, ut ab objecto Pelagianismi errore doctrina Molinæ vindicetur. Extat dictus codex in Bibliotheca Romana Patrum Societatis, eoque donati sunt a CLEMENTIS nepote Card. Aldobrandino.

Quod ad PAULUM V. spectat, exitu constat, neutram sententiam approbase aut improbase: utriqu<sup>e</sup> enim parti, ut vidimus, permisit Pontifex suam tueri sententiam, ac vetus alterutram hæreseos, aut alia quapiam nota insimulare.

396. Quæres III. Quid judicandum de iis, quæ sub nomine Congregationum *de Auxiliis* circumferuntur, Actis?

R. Plurima esse hujusmodi acta aut scripta ad illas spectantia: præcipua ex his sunt Acta Coronelli, Jacobi le Bossu, Pegne, Lemos, nec non autographum assertæ Constitutionis Paulinæ. Quid de illis sentiendum sit, docet decretum INNOCENTII X. datum die 23. Aprilis an. 1654. cuius hic tenor est: Cæterum cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam asserta acta manuscripta, et forsitan typis excusa Congregationum habitarum coram fel.

recordationis Clemente VIII. et Paulo V. super quæstione de Auxiliis gratiae, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanae Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum et Theologorum, qui, ut asserit, prædictis interfuerunt Congregationibus; nec non quoddam autographum seu exemplar assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententia, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu: eadem Sanctitas sua praesenti hoc suo decreto declarat ac decernit, prædictis assertis Actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, et Autographo sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. et Urbani VII. suorum predecessorum.

Augustinus *Le Blanc* in Præfatione suæ historiæ §. 12. contendit, INNOCENTII decreto prædictis actis interdictam esse fidem, non quidem humanam et historicam, sed publicam duntaxat, juridicam, contentiosam, quæ nempe valere in judicio possit. Ast e vestigio occurrit adversæ partis Historicus *Eleutherius* art. 10. et 11. Præfationis ad suam historiam; ubi advertit huic exceptioni plurima repugnare.

Obstant 1°., inquit, decreti verba, quæ generalia sunt, nihilque excipiunt, nullam omnino fidem esse adhibendam; ac proinde sive juridicam, sive historicam fidem iis actis eripit.

Obstat 2°. finis et scopus decreti: si enim unica duntaxat, quæ in judicio valere possit, juris fides exclusa dicatur INNOCENTII decreto, otiosum plane fuisset ac inutile: jam enim solemni decreto Societatis de gratia doctrinam in Ecclesia doceri permiserat PAULUS V., et sub gravissimis penitentia vetuerat, ne quis illam censura quapiam notaret: neque ullus exinde fuit, qui ex prætensis congregationum Actis Jesuitas in judicio convenire et damnatae doctrinæ arguere ausus fuerit.

Obstant 3°. circumstantiæ loci, temporis, nec non personarum, quæ dubiam saltem et incertam reddit eorum instrumentorum auctoritatem: id imprimis, quod nempe non ante e tenebris eruta illa fuerint ac vulgata, quam e vivis excessissent PAULUS V., Cardinales in Auxiliorum congregations asciti, aliqui, qui interpolatores falsi convincere potuissent.

Ex his omnibus infert Molinæ vindex, quæ circumferuntur congregationum acta, esse fidei ut minimum dubiae atque suspectæ, taliaque, quibus nemo prudens citra deceptionis aleam assentiri possit, aut debeat. Hactenus *Tournely*.

## DISPUTATIO VI.

### DE GRATIA HABITUALI, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

#### CAPUT II.

##### DE GRATIA HABITUALI.

#### ARTICULUS I.

##### QUÆNAM SIT ENTITAS GRATIAE HABITUALIS?

397. *Nota.* Calvinus in sola peccatorum remissione justificationem posuit; Lutherus, Bucerus, Osiander, quin et Pighius statuerunt non minus hanc gratiam, quam causam justitiae formalem in aliquo extraneo sine ulla intrinseca justitiae acquisitione, quatenus volebant justificari hominem per favorem Dei mere extrinsecum, vel per justitiam Dei et Christi sive increatum, sive creatum, nobis duntaxat imputatam. Inter Catholicos *Magister Sententiarum*, quatenus charitatem non distinguit a Spiritu sancto, videtur gratiam istam constituerè in dono increato. Vasquez salva fide doceri posse existimat, quamvis ipse non doceat, adultos formaliter justificari per actus virtutum theologicarum, atque hinc gratiam justificantem reponi posse in his actibus physice præteritis et moraliter perseverantibus. *Alii* convenient in eo, quod statuant gratiam hanc esse qualitatem creatam, homini intrinsecam, ac physice permanentem; velintque eam recte dici habitualem.

398. *Dico I.* Gratia habitualis non est favor Dei mere extrinsecus, aut justitia tantum imputata; sed donum homini intrinsecum. Ita TRID. Sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Similiter præmiserat ead. Sess. cap. 7. *Formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritus mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes.*

*Prob. I.* EX SCRIPTURA. Hæc enim 1°. dicit, Deum per justificationem esse, habitare et permanere in nobis. 4. ad Cor. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? Joan. 14.*